Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8453
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Et ego si plenam habuero scientiam scripturarum. licet hora tertia sit tamen pasco uos [in meridie]
Denique et sponsa in cantico canticorum dicit. ubi pascis inquid ubi cubas in meridie
Videtis quoniam sponsus non pascitur nec recumbit in hora tertia sed in meridie. ubi
pascis ubi cubas ubi te inuenio. ubi deliciis frueris. ubi te possum inuenire,
O sponse mi. uis me inuenire in meridie in scientia perfecta in bonis operibus in
clara lumine quoniam ergo habemus nos meridiem. propterea etiam diabolus
transformatur in angelum lucis et ipse simulat habere se lucem habere se
meridiem. quando heretici quasi misteria aliqua promittunt. quando regna caelorum
quando continentia. quando ieiunia. quando sanctitatem. quando renuntiationem
seculi promittunt meridie, Sed quoniam non est christus lumen. non est meridies sed demonium meridianum,
Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis: singula uerba scripturarum
singula sacramenta sunt. Ista rustica uerba quae putantur a cunctis hominibus:
plena sunt sacramenti. Habemus enim thesaurum istum in uasis fictilibus:
thesaurum sensus diuini habemus in uerbis uilissimis. Cadent a latere tuo
mille et decem milia a dextris tuis. ex latere eius scilicet ab eo cui dictum fuerat,
Scuto circumdabit te ueritas eius non timebis a timore nocturno, Quis est
iste de quo supradictum est. qui habitat in adiutorio altissimi in protectione
dei caeli commorabitur, Ab eo ergo qui habitat in adiutorio domini. cadent a late
re mille et decem milia a dextris eius. Dextera scilicet dicitur sinistra non dicitur (latus) sed
Vide enim quid dicitur et decem milia a dextris tuis. Et quomodo dixerat cadent a la
tere tuo mille. Quando enim dextera dicitur et sinistra non nominatur per sinis
tra latus nominatur, Non enim poterat iustum esse ut iustus haberet et sinistram
Qui te inquid percusserit in dexteram maxillam praebe ei et alteram non dixit et sinistram. Non est
sinistra quae praebeatur sed dextera. Alteram ergo simpliciter dico. quoniam iustus duas
dexteras habet. Denique et ille aod qui scribitur in iudicum libro. propterea duas
dexteras habere dicitur quia iustus erat et interfecit illum pinguissimum regem
Cadent a latere tuo mille et decem milia a dextris tuis. plures enim sunt qui insidiantur dex
terae nostrae. non sunt plures qui insidiantur sinistrae. propterea a latere mille ca
dent et a dextris decem milia. Ubi enim maior pugna maior uictoria. pauci insidiantur
lateri plures insidiantur dexterae, Quoniam angelis suis mandauit de te ut
custodiant te in omnibus uiis tuis, Istum locum diabolus super domino interpreta
tus est. Eo enim tempore quo temptauit dominum. si in quid filius dei es mitte te
deorsum. Scriptum est enim de te quod angelis suis mandauit de te ut cus
todiant te in omnibus uiis tuis. In manibus portabunt te ne forte offendas
ad lapidem pedem tuum,